



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

119. Dominica Resurrectionis. De quatuor D. Iesu apparitionibus primis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Dominica Resurrectionis. 209

O quàm libenter posita fuisset viva cum Filio meo in Sepulchrum! Vere quasi duo corda in uno Sepulchro fuissent: Vbi enim The-
saurus, ibi & cor: non tamen consui linteum, sciebam enim pro certo, quòd Deus non dabit Sanctum suum videre corruptionem.

MEDITATIO CXIX.

Dominica Resurrectionis.

De quatuor D. IESU apparitionibus primis.

Videbo animam D. IESU ab inferis reducem comitantibus eam animabus jam beatificatis, ostendentem corpus suum percussum, & sanguinans, in quo pro salute eorum, totiusq; mundi passus erat usque ad mortem: quare eo ab omni livore & unguentis emundato, illud continuò anima univit, & sine revolutione lapidis, aut sigilli latione per virtutem subtilitatis è sepulchro sub aurora extraxit: Angelo interea motu terræ lapidem removente, & multis corporibus Sanctorum, qui dormierant, surgentibus, & in Sancta Civitate apparentibus, Matth. 27. Petam ex quatuor primis apparitionibus fructum utilem decerpere.

Conf. 1. Evangelistas tantum narrare apparitiones servientes testimonio fidei, quod dare Matrem de Filio non decebat: ideo apparitio

paritio Matri non est scripta, licet facta sit ce-
 ste D. Bernardo hodie: *Prima Dominum vidit
 in forma gloriosa, non ad confirmationem dubii,
 sed ad consolationem gaudii, O qualem vidit
 vivum, salvum, integrum, pulchrum, lætū,
 impassibilem, agilem, subtilem, honoratum,
 gloriosum, proprium Filium, immortalem
 Deum; resuscitare enim seipsum argumen-
 tum est propriæ Divinitatis. Potentius est revi-
 xisse mortuum, quàm non fuisse mortuum, ait D.
 August. in Psal. 65. Audiverit dicentem: Ecce
 sum vivus, & fui mortuus: senserit fragran-
 tiam, exosculata fuerit cicatrices.*

*Conf. 2. Alteram apparitionem Magdale-
 næ hærenti ad Sepulchrum, & ploranti, qua
 meruit prima post B. Virginem videre Iesum
 specie hortulani, eumque more suo velle
 complecti.*

*Conf. 3. Factam Simoni Petro Luc. 24.
 Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni
 tanquam digniori, & qui primo confessus
 fuerat Christum, quique eum negaverat, ideo
 primo ei apparere voluit, ne desperaret.
 Gratus ero Clementiæ Dei erga peccatores.*

*Conf. 4. Apparitionem mulieribus redeun-
 tibus à monumento. Matt. 28. Et ecce Iesus
 occurrit illis dicens: Ave: illa autem accesserunt,
 & tenuerunt pedes eius, & adoraverunt
 eum: Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite nun-
 tiate*

tiatate fratribus meis, ut eant in Galilaam, ibi me videbunt. En quomodo iter virtutum inchoantibus Christus adjuvando occurrat, & quas Angelus firmaverat, Dominus reddat certiores. Discipulos nominat fratres, jubet in Galilaam ire, seu transmigrationem, ibi, inquit, me videbunt: Nisi enim à vitijs ad virtutes migremus, non videbimus gloriam Resurrectionis, cujus symbolum est Venerabile Sacr. quod dicitur. *Pharmacum immortalitatis*, à Conc. Trid. Sess. c. 2.

MEDITATIO CXX.

Feria 2. Pasche.

Non datur in hac vita frui DEO,

quantè minus creaturis

Videbo Dominum Cleophae & Amaoni apparentem, & disparentem euntibus in Emaus. Petam agnoscere, non dari in hac vita satietatem.

Conf. 1. Felicitatem illorum duorum Discipulorum, quando aperti sunt oculi eorū, & cognoverunt IESVM: hæc enim est vita æterna. Ioan. 17. Noscitur Deus ex creaturis, ex scripturis, ex Unigenito in terris viso, & cum hominibus conversante, tandem à mortuis resuscitato, & agnito à Cleopha, & Amaone, ut ait D. Ambrosius in Luc. lib. 7. c. 12.

Conf. 2. Infelicitatem eorundem: quia

VIR